

**De urodialysi senili et infantili : dissertatio inauguralis ... / publice defendet  
A. Hellmann ; opponentibus C. Vormann, G. Zimmermann, A. Beckhaus.**

**Contributors**

Hellmann, A., 1808-  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typis Nietackianis, [1833]

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ukpk259h>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**


This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>







DE  
**URODIALYSI SENILI ET  
INFANTILI.**

---

**DISSERTATIO  
INAUGURALIS**

QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
VENERATIOSI MEDICORUM ORDINIS  
IN

UNIVERSITATE LITERARIA  
FRIDERICA GUILIELMA

PRO SUMMIS  
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS  
RITE SIBI CONCILIANDIS

*DIE XXV. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIII.*

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**A. HELLMANN**

GUESTPHALUS.

---

OPPONENTIBUS:

C. VORMANN, MED. ET CHIR. DR.  
G. ZIMMERMANN, MED. ET CHIR. DD.  
A. BECKHAUS, MED. ET CHIR. CAND.

---

BEROLINI,  
TYPIS NIETACKIANIS.



UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1911

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

V I R O

AMPLISSIMO ET CELEBERRIMO

*F. L. TRUESTEDT,*

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORI, PROFESSORI EXTRA-  
ORDINARIO IN UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA-  
GUILELMA, DIRECTORI CLINICES MEDICO-CHIRURGICAE,  
REGI BORUSSORUM A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, SU-  
PREMI COLLEGII AD REGENDAS RES SACRAS ET ME-  
DICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM SODALI, ORDINIS  
AQUILAE RUBRAE ET CRUCIS FERREAE EQUITI, COM-  
PLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI ETC.



**H A S C E**  
**S T U D I O R U M P R I M I T I A S**

**P I O G R A T O Q U E A N I M O**

**D. D. D.**

**AUCTOR.**

## PROOEMIUM.

**I**Doctrinae tam extensae et longe patentis, qualis medicorum est, fines peragrantes in locos incurrimus, haud raros, ubi caeca nox viam investigantium sistit, et nihil sane est, quod magis optemus, nisi ut aliquo duce uti possimus in obscura illorum morborum natura explicanda. Inter omnes morbos vero, quibus corpus nostrum fragile subjectum est, morbi renum imprimis adhuc ejusmodi sunt, qui luce careant. Itaque quisque conatus ad illos illustrandos opera haud indignus videatur. Tiro vero et praxeos medicae non peritus, simulque more vetusto et facultatis legibus, examinibus necessariis absolutis, pro gradu doctoris impetrando, ad dissertationem quandam conscribendam coactus, ea, quae duo viri, acumine ingenii et veri studio eminentes, Autenrieth et Abercrombie, de uno renum morbo, hucusque



minus noto observarunt, in unum conferre haud omnino inutile et inane esse aestimavi. Quorum observationibus adhuc addo ea, quae Schoenlein, cujus praelectionibus clinicis interfui, de hac re collegit. Nomine urodialyseos, quamquam minus usitato, usus sum, quia Schoenlein illum morbum sic nominavit, nomen ipsum quoque non ineptum visum est.

---

LIBRORUM NOSTRA DE MATERIE CONSULENDORUM  
INDEX.

Ch. L. Essig, praes. J. H. Fd. Autenrieth; d. i. de ortu quorundam morborum aetatis provectionis, praecipue ophthalmiae senilis. Tüb, 1806. 4.

J. H. Fd. Autenrieth, Versuche für die praktische Heilkunde an der klinischen Anstalt zu Tübingen. Tüb. 1807—8.

Dessen Abhandlung über die Krankheiten aus verhaltener Urinschärfe.

---



**R**eapse mirandum est, quod in utroque vitae humanae termino, senectute et aetate infantili, haud raro morbi unius ejusdemque generis inveniuntur, quamquam corpus humanum in illis vitae temporibus tam mirifice variat. In aetate infantili enim peculiaris vitae ratio, cuius nisus praecipuus in formationem convertitur, ita ut omnia systemata magis in dies magisque evolvantur, et formatio corporis quovis die ad altiores perfectionis gradum progrediatur; aetas senilis contra in culmine recessum et decrementum offert ab initio sensuum stupore, minore caloris et turgoris vitalis vi, deinde vero restorationis languore, organorum frigiditate et retardata partium dignitate organica privatarum, climatione conspicuum. Nihilominus aetatem infantilem senectuti haud dissimilem invenies, si morbos in utraque aetate occurrentes spectes. Pauca exempla ad sententiam illam comprobendam asserre



sufficiet. Hydrocephalus acutus unice, ut antea crederunt, infestat infantes, recentioribus autem temporibus verisimile redditum est, illum morbum horribilem quoque in senibus reperiri, et exinde apoplexiam serosam originem ducere. Hydrocephalus chronicus haud dubie utramque aetatem invadit. Asthma Millari morbus infantibus proprius habetur, in senectute de integro asthmata inveniuntur, quae annis juvenilibus et virilibus, nisi origo eorum peculiari praedispositione et rebus externis foveatur, rarissime occurrit. Pneumonia notha est juvenibus et viris fere aliena, in infantibus et senibus haud rara. Gastromalacia in infantibus et senibus apparet, aetas inter illos vitae humanae fines interposita, ignorat illum hostem. Sententiam supra allatam quoque urodialysis affirmat. Autenrieth et Abercrombie tantum unius speciei hujus morbi mentionem fecerunt, ejusque, quae aetatem proveciorem invadit. Schoenleinio vero eundem morbum etiam in infantibus observandi occasio oblata est. Itaque de duabus speciebus sermo erit, imprimis cum magnum discrimen urodialysin senilem inter et infantilem intercedat, si respicias exitus et decursum.



## URODIALYSIS SENILIS.

**Symptomatologia.** Symptomata, quae initium morbi declarant, partim generalia, partim vero tam obscura et tam difficilia dijudicatu sunt, ut medicum ipsum maxime expertum non raro effugiant. Senes aegrotantes, (morbus enim, ut nomen jam indicat, senibus proprius est, et vix invenitur, nisi in hominibus, qui jam sexagesimum aut septuagesimum aetatis annum transgressi sunt) jam saepe similibus difficultatibus vexati vulgo illa negligunt. Eos nempe angunt ventriculi pondus, languor, distentio, anxietas, fluctuationis in eo perceptio, flatus, ructus frequentes, difficilis aut gravis respiratio, pravus oris sapor, vapores fugaces, vertigo, capitis dolores imprimis circa frontem et tempora, sitis adaucta, cibi non concocti rejectio per os. Lingua muco albo aut flavo et plerumque tenace oblecta est, appetitus plerumque deficit, aut bulimia adest, alvus retardata, faeces mutatae, duriores nempe nigricantisque coloris, pulsus valde variat. Ad haec symptomata alienatae secretionis succi gastrici accedunt. Itaque insolitus acor salivam inficit, et si quid cibi aut humoris e ventriculo ructus forma aut flatus erumpit, acidum saporem prae se fert, fauces exurit et in terram decidens aceti



instar ebullit. In hac cruditate saepe queruntur de ventriculi quodam ardoris sensu, veluti roderetur. Eodem tempore urina mirifice mutata est, et quantitate et qualitate. Quantitas enim minor apparet, quam norma postulat, imprimis si respicis cutem, quae sicca et arida est. Color urinae obscurior fit, initio rubra est, postea coerulea, in emittendo dolores vehementes in urethra excitans, guttatim tantum effluens. In acme morbi color urinae magis in nigrum vertitur, eaque sedimenta copiosa deponit, quae ex salibus, acido lithico et materia sic dicta urinali constituta sunt, quibus lotium adeo onustum est, ut eadem, dum refriguerit, soluta retinere nequeat, sed demittere cogatur. Odorem pungentem, ammonio caustico non dissimilem, possidet, et celeriter in putredinem abripitur. Aegroti propter urinam nimis acrem saepius eam emittere se coactos vident, ita ut quavis hora semel aut pluries illud faciant. Urina modo, quo diximus, mutata multum valet in vesicam urinariam, mutationes memoratu dignas efficiens. Quae enim propter magnam acidi quantitatem, qua urina abundat, ad se arctius contrahendum excitatur et tandem in contractione perseverat. Itaque volumen illius minuitur, fibrae musculares crassiores



fiunt. Catheter per urethram in vesicam introductus facile nos id docet.

Ad symptomata hucusque adlata alia accedunt, quae multo graviora et molestiora sunt, quasi singulas morborum species formantia.

1. Ischias urinosa. Sic nominati sunt illi dolores, qui haud multo post initium morbi in extremitatibus inferioribus apparent, decursum nervi ischiatici aut cruralis sequentes, quare ischiadem simulant. Attamen non confundendi sunt cum ischiade vera. Nam ischias urinosa tantum periodice prodit, per ceterum tempus extincta, vulgo tempore nocturno apparens. In ischiade vera dolores semper perdurant et multo vehementiores sunt. Quare, praecipue si ad symptomata comitantia oculos convertimus, haud difficile, diagnosin ischiadem veram inter et urinosa sic dictam certo constituere.

2. Prurigo senilis. Veteres medici, et ipse Hippocrates, ut vir celeberrimus Kurtius Sprengel adnotavit, illum pruritum in senectute jam bene perspectum et cognitum habuere; nec minus Paulus Aegineta, qui saepe eum observasse, sed frustra curationem in illum instituisse videtur. Pruritum enim, inquit, in senectute contingentem perfecte sanare non datur, verum subscriptis mitigare



potes. Quisque pruritus vero originem ducit, ut veteribus placuit, a copia alimentorum cruda, quod Lorry affert in introductione tractatus de morbis cutaneis.

Ut ipsius verbis loquar:

«At quae ab alimentis, seu ut rectius loquar, ab edulis pendent morborum causae, alia ratione aestimandae sunt. Et quidem non dubium est, quin ipsa ciborum exuberans copia cum pessima plurima mala secum importet, ad vitiandam pariter cutim multimode possit conferre. Enim vero copia illa aut cocta est, aut cruda; si cruda, ruit ad respirationis vias, eas infarcit, obturat, obstruit, hinc cum viam sibi vi trudit, erethismo vasa stringit, inflammatione rumpit, suppuratione restituit. Hinc pruritus, anxietas et pustulae variae.»

Recentioribus temporibus auctores celeberrimi de morbis cutaneis tractantes illud malum morbum proprium et topicum esse existimant.

Autenrieth vero pruriginem senilem oriundam esse a suppressa aut diminuta et alienata renum secretionem demonstrare studuit. Hanc formam induit illud malum. Symptomata cohibitam mutatamque urinam indicantia praegressa non multo post excipit pruritus in cute. Oculi acris et accurate in-



quirentis est, mature adspicere nodulos seu tumores parvulos supra cutem eminentes, qui sublata epidermide conformati, colore sublividi aut subnigri sunt, nunc hanc, nunc illam partem cutis occupantes, raro universam. Cutis circum illos circumjecta paulisper exasperatur rubetque. Aliquid fluidi nunquam, aut raro illis inest. Nunc rari et sparsi, vix conspicui occurrunt, nunc densi confertique sunt. Semper vero pruritus enormem efficiunt, imprimis noctu saevientes. Propter pruritus ingentem aegroti ungguibus cutem radunt, quare vulgo apicem papularum crustulae sanguine conformatae, sublividae tegunt. Raro, aut nunquam, nisi rando, exulcerantur, sed in farinam seu furfurem levem abeunt, saepe quamquam non desquamatae, evanescentes.

3. Ulcera urinosa. Causam proximam quorundam ulcerum in abdomine, fluxu haemorrhoidali aut menstruali suppresso, irregulari, vel humorum stagnationibus in vasis abdominis saepe positam esse, non fugit illos, qui studio ulcerum operam navarunt. Itaque forsitan jam ex similibus concludi licet, haud minus urinae secretioni irregulari causam ulcerum quorundam inesse. Utrum jam veteres medici, qui scripserunt de ulceribus, ut J. Astruc, Fabré, B. Bell, Bertrandi, illam ulcerum speciem agnove-



rint, nec ne, non dijudicatum relinquo, cum via ad illos fontes mihi non aperta esset. Vir peritissimus et eruditissimus Rust illam speciem in helcologia non adtulit. Autenrieth et Schoenlein illud ulcus, quod sede, forma, secreto ab aliis distinguitur, se observasse contendunt, et haec criteria singularia afferunt.

In extremitatibus tantum inferioribus, maxime in media anteriori tibiae superficie emergit, ex papulis, si unguibus rasae sunt, exortum; formam irregularem exhibet, rapide serpit, materiemque organicam usque ad genu et maleolum depasci nitens, valde dolorificum. Margines durissimi, saepe callosi, inaequales, introrsum reflexi, haud raro a fundo soluti. Fundus inaequalis, granulationis expers, saniem viscidam, mucosam aut albumini similem edens, quae partes vicinas rodit, gustum acidum possidet, et odorem nauseosum, saepe pungentem, urinae simillimum spirat.

Illis non dissimile est, quod Schoenlein carcinoma superficiale nominat. In facie sedem habet hoc malum, plerumque in fundo alarum nasi et in illa regione, ubi nervus infraorbitalis egreditur. Noduli duri principio exoriuntur, unde cutis mox asperatur exulceraturque ac vehementer roditur rubet-



que. Idque ulcus maxime rotundum incipit eadem-  
 que ratione in orbem procedit. Non solum in lati-  
 tudinem, sed in altitudinem quoque celeriter crescit.  
 Ut plurimum margines refert prurientes, crustaceos,  
 aaltius descendentes, multo ichore scatentes. Fundus  
 partesque ambientes durae, sanies acerrima, versico-  
 llor, indolis odorisque peculiaris, finitimas partes ero-  
 dens. Simile quiddam se ostendit in lingua. Pars  
 linguae quaedam tunc tumet, durior fit, inflamma-  
 turque, superficiem siccam, purpuream offerens, pru-  
 ritumque acrem efficiens. Rimae fissuraeque nascun-  
 tur, quae alta petunt, ichoremque secernunt, acerr-  
 imum, finitimas partes depascentem, indolis odorisque  
 peculiaris. Mox rimae in latitudinem serpunt et con-  
 fluentes in unum ulcus vertuntur, quod forma, mar-  
 gginibus, fundo, secreto vix distinguitur ab illo, de  
 quo antea actum est.

4. Asthma urinosum. Priusquam asthma, quod  
 dicunt urinosum, apparet, symptomata ad secretio-  
 nem urinae perversam pertinentia antecesserunt.  
 Tempore aestivo, ubi functio cutis valde adaucta  
 est, et actio membranarum mucosarum per antago-  
 nismum minuta, raro asthma urinosum se ostendit;  
 hyeme vero, aut tempestate frigida, transpiratione  
 cutis plus minusve oppressa, facile exoritur. Asth-



mate urinoso apparente cetera symptomata evanescent, prurigo minuitur, ulcera urinosa ad cicatricem perveniunt, et pectus afficitur. Cognoscitur vero illud malum tussi humida, sibila, levamine humoris alicujus exscreationem subsequente, sensu oppressionis et ponderis gravidantis, et sputis peculiaribus. Nunc augetur, nunc mitescit illud malum, prout humoris congestio increscit aut imminuitur; at nunquam intermittit, nisi morbo penitus soluto. Praecordiorum anxietas, pulsus parvus, inaequalis, intermittens, rarus, cordis palpitatio, faciei rubor, livor aut pallor, vox impedita, extremitatum frigus, vehemens scapularum, humerorum, clavicularum, abdominisque agitatio, alarum nasi deductio, tremor, suffocationis metus designant exacerbationem nocturnam aut vespertinam. Qui paroxysmus per plures horas protractus sputis mucosis, tenacibus, quibus gustus salinus inest, ejectis, sudoreque in cute apparente solvitur. Autenrieth insuper ophthalmiam quam dicunt senilem, ortum trahere ex eodem fonte contendit. Vir celeberrimus Juengken et plures alii, qui in studio ophthalmologiae versati sunt, potius ophthalmiam senilem morbum topicum esse putant; quare illam hic missam facio et adlego lectorem ad dissertationem a Ch. L. Essig conscri-



ttam vide ortu quorundam morborum aetatis prove-  
tioris, praecipue ophthalmiae senilis. Tueb. 1806. 4.

### AETIOLOGIA.

I. Causae remotae. Causa praedisponens tan-  
tum aetati provectiori inest. Senes enim, qui jam  
sexagesimum aut septuagesimum aetatis annum per-  
ggerunt, fere soli afficiuntur illo morbo. Raro ante  
quingagesimum aetatis annum invenitur. Viri ma-  
gis propensi sunt ad hanc morborum speciem, quam  
feminae, imprimis illi, qui fibris muscularibus rigi-  
dis, ossibus crassis et parva pinguetudine instructi  
sunt. Viri, qui antea rheumatismo et arthritide vaga  
laborarunt, et quorum cutis sicca et arida est, facile  
illo malo invaduntur.

Ad causas occasionales numerantur cibi acres,  
acidi, pingues, aromatici, quos senes propter linguam  
minus sensibilem avide appetunt. Tales cibi sunt,  
raro pinguis, muriatica, fumo indurata, aut in putre-  
tinem jam abrepta, pisces, caseus et similia. Haud  
minus potus acer et acidus, ut vinum acidulum,  
mustum, et qui inde, additis aromatibus et saccharo,  
parantur, liquores, cerevisia rebus alienis, acribus,  
aromaticis et similibus onusta. Nec minus aër im-  
purus, humidus, nebulosus, plantarum virentium ex-



halatione corruptus, animalium et hominum vivorum effluviis impletus, putredine inquinatus, vaporibus nocivis et pulveribus onustus, denique mundities neglecta, praedispositione data, morbum excitare potest.

2. Causa proxima. Morbus haud dubie ortum ducit ex renibus, quorum secretio minuta et alienata est. Secretionem renum perturbatam excipit secretio, quae dici solet vicaria. Saepe jam quaestio proposita est, quale impeditam inter et vicariam secretionem commercium intercedat: utrum materiale an dynamicum? Nonnulli dynamicum negantes materiale commercium tantum statuunt, secretionem unius organi suppressa, particulas secernendas organo vicario offerri tradentes. Hoc negant, quibus irritatio sympathica, ab organo, cujus functio cohibita est, ad aliud translata, sufficientem secretionis vicariae rationem reddere videtur. Quisque, hac re animo perpensa ab omni praesumpta opinione libero, et hic verum inter utramque partem divisum esse censebit. Sunt certe secretiones vicariae, quarum commercium, quod inter organa intercedit, vitale rationem sufficientem reddit, quin tamen sola, quae a pathologis statuitur, irritatio sympathica omnia jam expediat. Optimi pathologi hic a clariore secretionum morbosarum pathogenia



exerendum esse putant. Si quae oritur secretio mor-  
bosa, ea semper processum aliquem morbosum in  
organo secernente supponit, qui ab initio ad hocce  
magis restrictus, inde paulatim ulterius per ea prae-  
primis organa proserpit, quae eminentem cum pri-  
mario adfecto adfinitatem organicam et vitalem sus-  
tinent. Sed quamvis omnia haec organa quoad  
modum aegrotandi inter se consentiant, dissentiant  
tamen quoad gradum; quo fit, ut processus morbo-  
sus in altero eadem ratione imminuatur, qua in al-  
tero intenditur et vice versa. Si igitur in organo  
primario eum in modum affecto, ut secretionem  
morbosam sustineat, processus morbosus eo usque  
deprimitur, ut secretio sileat.

Idem in altero ex generali oppositionis dynami-  
cae lege ad eum intentionis gradum insurget, ut  
nunc in secretionem erumpere possit. quae suppres-  
sae similis erit, cum idem in utroque organo mor-  
bus vicens eundem etiam ubique fructum edere ad-  
mitatur, quousque hoc per peculiarem organi singuli  
actionem conceditur. In hominibus, qui arthritide  
vexantur, non solae, quae articulos ambiunt, partes  
organicae metamorphosin illam arthriticam susci-  
piunt, sed aliae etiam corporis membranae eadem  
inquinantur, quamvis in his dormitet et delitescat,



dum in illis ad eum usque gradum viget, ut florem suum et fructum proferre valeat. Si nunc hujus plantae parasitae, quae ramos suos per plura corporis organa agit, incrementum in altero reprimatur, eadem in aliis eo magis luxuriabit, ibique novum secretionis morbosae fontem aperiet. Hac ratione scabies, herpes, erysipelas, variolae etc. suas secretiones vicarias et sic dictas metastases efficiunt, quin materia quadam morbosa, de loco ad locum per vasa transmigrante, indigeant. Sunt tamen etiam secretiones vicariae, quibus materia secernenda cum sanguine aliunde advehitur. Suppressa bilis secretionem v. g. integra quidem bilis cum sanguine non circumagitur, qui tamen elementis ad constituendam bilem abundet oportet, et qui inde secretionem istam non liberatur. Haec elementa sub aliis rationibus conjuncta, in sanguine, aut hujus potius sero soluta eoque penitus abscondita, hic locorum bilem referre non possunt. Verum enim vero si organa cum sanguine traduntur, quae ejusdem serum resolvere valent, eadem etiam elementa ab hocce vehiculo secedere et ad se invicem accedere ita possunt, ut nunc liquida referant, bili saltem similia. Hic igitur opus non est irritatione quadam sympathica, qua organa vicaria eo disponantur, ut sanguinem bene



constitutum in laticem biliosum convertant; hic enim consueta secretionum organa sufficiunt, quibus datum est, serum sanguinis resolvere, ut utilia sibi adsimilent, inutilia separent et in strictissimo sensu secernant.

In urodialysi commercium materiale impeditam inter et vicariam secretionem intercedere videtur. Organum vero, quod natura ad compensandam rationem in secernenda urina perturbatam eligit, nunc cutis, nunc aliud organum est; saepe plura organa partes renum suscipiunt. Id vero quod ab organo vicario secernitur, duplicis indolis est. Partim enim constat ex illis particulis, quae vulgo inveniuntur, partim ex illis, quae ad secretionem renum suppressam pertinent. Itaque salia urinae, acidum lithicum est materia, quam dicunt, urinalis in cute inveniuntur, si cutis loco renum agit, in sputis, si asthma urinosum, in ulceribus, si haec adsunt. Itaque sine dubio quoque sanguis corruptus est, salia urinae necum agens. Renibus enim exstirpatis, partes, quae systemati urinoso propriae sunt, in sanguine remanent, in urodialysi renes non amplius agunt, quare via impedita est, qua partes urinam constituentes removeantur. Vis medicatrix naturae quidem alio



modo id perficere studet; nunquam vero tam perfecte fieri potest, ac si renes fungantur.

Quaestio nunc existit, quomodo renes se habeant, si anatomiam respicias. In cadaveribus hominum, qui illo morbo diem supremum obierunt, dissectis, saepe nihil in conspectum venit, quod memoratu dignum est, saepe vero renes et volumine et pondere minuti, simulque omni sanguine carentes inventi sunt. Id prae ceteris Schoenlein observavit. Itaque in illis casibus atonia, materia non mutata, in his atrophia renum adfuisse videtur.

Decursus morbi chronicus est; per plures annos morbus protrahitur, non semper eandem formam tenens. Singulae species morbi saepe sese invicem excipiunt. Prurigne senili v. g. extincta asthma urinosum, aut loco asthmatis ulcus existit. Nunc morbus remittit, nunc resurgit et recrudesceat. Aër multum valet in morbum. Tempestas enim sicca, calida retrudit haud raro incipientis saltem morbi symptomata, semper ea leniens; tempore aequinoctiorum, praesertim autumnalium, ingentiumque aëris et tempestatis mutationum, repentinarumque vicissitudinum, coeli humidi et frigidi, morbus gravior multoque molestior fit. Ciborum potuumque usus, no-



minatim eorum, qui supra adlati sunt, eandem vim  
exercent in illum morbum.

**Exitus.**

II. Sanitas redit. Renes de novo partibus suis fun-  
guntur. Quo facto symptomata sensim sensim-  
que evanescent, aut saltem, sponte minuta, re-  
mediis adhibitis cedunt.

2. Sanitas aliqua ex parte tantum restituitur. Re-  
nes tunc quidem functioni normali praesunt  
eamque perficiunt, singulae formae vero, quibus  
morbus apparet, in organis, quae infestaverant,  
mutationes relinquunt. Cicatrices v. c. quae  
deformant et ad prorumpendum valde inclinant,  
haud raro remanent, si ulcera in pedibus aut  
facie adfuere.

3. Morbus cum aliis mutatur: a) cum hydropsia.  
Ascites raro exoritur, frequentius hydrothorax  
imprimis, si ampla ulcera adfuerunt, quae sponte  
ant remediis adhibitis repente exsiccata sunt.  
Hydrothorax ejusmodi saepe citissime cietur, haud  
raro nonnullis horis. In hominibus, qui adhuc  
satis robusti sunt, iisdem conditionibus datis,  
pneumonia saepe excitatur, quae cito decurrit,  
et ad exulcerationem tendit.

b) Cum apoplexia. Veteres medicos jam non



fugit, ulceribus pedum subito sanatis apoplexiam existere. Qualis species vero illa sit, utrum sanguinea an serosa, usque ad hunc diem nondum dijudicatum est.

4. Morbus in mortem finitur. Morbus ipse mortem jam producere potest. Digestionem enim laesam macies sequitur; pruritus aegrotos somno privat, vires magis in diem magisque exhauriuntur et tandem febris exoritur, aut lenta aut asthenica, quae vulgo putrida est et symptomata dissoluti et corrupti sanguinis, et male affecti systematis nervosi exhibet.

Ulcera urinosa ipsa humores dissolvere et corrumpere possunt; quo facto febris putrida sequitur. Plerumque vero morbis secundariis, hydrothorace aut apoplexia mors efficitur.

Prognosis. Levior morbi gradus saepe curabilis est. Si jam inveteravit, pertinax et difficile debellandus est, vix remediis cedit, infirmis praesertim corporibus, cachecticis senibus, venere et baccho fractis superveniens. Curaturo illum morbum multa impedimenta sunt, et res externae et animus morosus aegrotantium, qui senes sunt, ideoque praecepta medicorum haud lubenter sequuntur. In prognosi constituenda variarum re-



rum ratio habenda est: a) temporis, per quod morbus jam perduravit. Si ulla salutis spes in hoc morbo affulget, ea tantum morbo incipiente locum habere videtur; nam confirmatus vix unquam curationem admittit. Itaque si nondum inveteratus est, appetitus adhuc viget, cum corporis adhuc habitu laudabili, haud raro curatur. Contraria his contrarium praesagium praebent: b) Aetatis. Si senes jam septuagesimum aetatis annum transgressi sunt, bonum exitum aliquo modo sperare vix licet. c) Organi, quod modo secundario affectum est. Prurigo senilis, quamquam symptoma molestissimum et gravissimum, ulcus urinosum in pedibus, multo minus timenda sunt, quam asthma urinosum et ulcera carcinomati similia. Si nunc febris accedit, quam symptomata male affecti systematis nervosi, colligationis et corruptionis humorum comitantur, aut si hydrothorax aut apoplexia apparet, spes sanandi nulla est.

#### Curatio.

Curaturo illum morbum praesertim haec maxime curae esse debent, scilicet causarum externarum remotio, functionis renum restitutio. Prae ceteris victus ratio accuratius instituenda. Itaque arceantur



omnes cibi et potus, qui nominatim supra allati sunt. Potus sit aqua ex malvae, althaeae, verbasci floribus, radice glycyrrhizae, aut purissima fontana, decoctum hordei, malti, oryzae, aut cerevisia, quae bene parata, rite fermentata, nec rebus alienis, acribus, aromaticis onusta est, sed potius in multa aqua magnam mucii, sacchari et acidi carbonici, paucissimam vero spiritus vini partem continet. Potus, qui vocatur, antiscorbuticus, v. g. ex turionibus pini et malto paratus valde commendandus est. Aegroti utantur victu simplice, blando, simulque alendo corpori idoneo, carnibus recentibus, tenerioribus, radicibus dulcibus et farinosis, quae albumini et saccharo vim, qua gaudent, nutrientem debent et carnibus additae bene feruntur; aër, quem illi respirant, sit siccus, purus et tepidus; ad restituendam functionem cutis neglectam et perturbatam aptissima sunt balnea tepida; vicissitudines repentinae tempestatis caute evitentur.

Tunc secretio renum oppressa restituenda est. Nullo modo incipiente morbo diuretica admittenda sunt, nisi sint mitissima et ad emolliendum idonea, aut temperantia; itemque acria, balsamica. Irritatio enim in renibus adest principio morbi, quare demulcentia, oleum seminum lini, amygdalarum dulcium aut olivarum tum intrinsecus adhibenda et extrinse-



us admovenda, mucilaginosa quaedam, gummi tran-  
santhi, arabicum atque his similia, et si necessitas  
postulat, etiam narcotica, neglectis iis vero, quae al-  
vum retardant, in auxilium vocanda sunt.

Contra laesam ciborum coctionem, alienatam  
succo gastrici secretionem et retardatam alvum gene-  
ratim amara, antacida et aperientia laudantur. Non  
debent tamen promiscue adhiberi nec sine delectu;  
sed therapeutices notissima praecepta probe obser-  
ventur et pro circumstantiarum diversitate medica-  
mentum quoque prudenter accommodata eligantur. In-  
ter aperientia atque amara gramen, taraxacum, mar-  
rubium, absinthium, rheum et his similia primas  
habent. Drastica vero et sales medii repudientur;  
acidarum cruditati resistunt acida mineralia et alcalia.

Irritatione renum extincta, hi stimulandi sunt.  
Itaque initio lenia hydragoga, postea diuretica acria,  
praeparata juniperi, terebinthina, balsamus copaivae  
et his similia adhibeantur.

His praemissis non ineptum videtur ad singulas  
species curandas transire. Contra singulas species  
ratio multiplex nec una eademque cuique morbi spe-  
ciei opportuna est. Saepe, quae unam speciem tol-  
lit, alteri nocet et pernicioosa foret. In quaque ratione  
autem adhibenda morbus primarius nullo modo



negligendus. Prurigine laborantibus prosunt quam plurimum in aqua frigida perfundi, in ea natate, balnea tepida ex emollientibus herbis parata, et in iis perfricari membra, balnea sulphurata, saponata et balnea cum acido sulphurico mixta. Quibus omnibus vero praeferendae sunt thermae, imprimis, quae originem a montibus ignem evomentibus repetunt.

Natura ischiadis urinosae adhuc latet. Hirudines applicatae simul cum infriktionibus ex rebus narcoticis auxilium ferre possunt.

Ad curationem ulcerum quod attinet, haec pro vario ulcerum characterē differre etiam debet. Valde irritatis et inflammatis cataplasmata ex mica panis et foliis malvae in lacte coctis, aut fomentationes ex herbis narcoticis, floribus sambuci et chamomillae paratae, superponenda sunt. At in nimia laxitate aut atonia eorum species cephalicae aut aromaticae adhibendae, aut illis parum spiritus vini cum aliqua camphorae parte adjici potest. Sed dum extrinsecus chirurgica medela adhibetur, atque ulcus detergitur et exsiccatur, non negligenda tamen pro causarum varietate curatio etiam interior est. Lente enim tantum ad cicatrisationem deveniendum est; nam si justo citius exsiccantur ulcera, repelli ad interiora cum



magno vitae periculo possunt. Quam ob rem evitentur adstringentia et styptica. Quae si unquam opportune adhiberi possunt, tunc solum locum invenient, si, jam causa interna sublata, sola ulcera remanserint sananda.

In asthmate urinoso crassae viscidaeque pituitae exscretio adjuvanda est incidentibus et expectorantibus. Imprimis laudantur sulphur stibiatum aurantiacum et rubeum, G. ammoniacum, asa foetida, flores sulphuris. Incidendi et sputum urinasque movendi laude celebratur radix, oxymel et acetum scillae. In ipso autem suffocationis metu praeter sanguinis missionem plurimum saepe prodest, pedes aut manus, prout commodius fieri potest, in calidam aquam demitti, frictionibus et cucurbitulis artus subjici, aquae vapores per os hauriri. Vero morbi paroxysmo sublato opera danda est, ne revertatur. Eo collimant fomiculi brachiis, femori aut intra scapulas inusti, rubefacientia adhibita, quibus si etiam vietus opportuna ratio adjungitur, spes major est morbi arcendi praecavendique.

#### URODIALYSIS NEONATORUM.

Symptomatologia. Infantes emittunt parcam urinam, quae rubra, flammans et acris est, quare cre-



brum ad mingendum stimulum exciet et vehementes dolores in faciendo excitat, quod illi pedibus ad abdomen admotis et clamore indicant.

Urina tantum guttatim effluit. Alvus plerumque obstructa. At frequentissime hisce omnibus vomitus vomendique cupiditas, foetor acidus ex ore, borborismi, ructus frequentes, anxietas, distentio, inflatio abdominis, difficilis aut gravis respiratio adjunguntur. Acritas humoris tandem, ut Autenrieth placuit, ad cutem propellitur, locum, in quo colligitur, irritans atque inflammans, cutem rodens et excoriationes inurens, quae saniem acrem, partes vicinas depascentem et peculiari, urinae haud dissimili, odore excellentem edunt.

**Aetiologia.** Ille morbus tantum infantes infestat, imprimis illos, quorum matres aut educatrices dyscrasia, quae dicitur herpetica, laborant. Faeces in intestinis accumulatae, largior et crebrior victus, aer inquinatus, inopia munditiei, cibi acidi, depravati, in fermentationem jam abrepti morbum excient.

Dixi, quomodo morbus manifestetur et quibus cieatur. Restat, ut loquar de decursu et exitibus illius mali. Vulgo per aliquod temporis spatium pro-



trahitur; symptomata urinae oppressae haud raro evanescent, ceteris perdurantibus.

Sanitas redit, secretione urinae et bona ciborum coctione restituta, largiter et facile urina emissa. In aliis casibus peritonitis, icterus malignus, spasmus pectoris et cordis, gastromalacia et hydrocephalus acutus illum morbum exceperet. Mors si sequitur, morbis secundariis vulgo efficitur. Propter morbos recte timendos, qui vocantur secundarii, malum illud minime negligendum est, sed quoad per ejus causas licet, curandum pro viribus. Spes autem omnis curationis obtinendae sita est in recenti origine morbi, in ejus levitate atque in parentum aut educatricum facili ingenio, quo libenter legibus medicinae se obligent et consiliis idoneis aures praebeant. Non tamen facile promittenda salus est; saepe enim ob levissimos diaetae errores recrudescebat malum. Periculum majus aut minus a morborum secundariorum magnitudine aut levitate aestimatur. Itaque si peritonitis, gastromalacia aut hydrocephalus acutus apparet, infantes in magno vitae periculo versantur.

His si quae spes salutis unquam relinqueretur, id quidem eveniret, si inter initia, morbo nempe non illum eo propecto, quo medelam quamvis adspernatur, illud malum satis perspectum est.



## Curatio.

Maxima curationis pars in diaetetico regimine sita est. Itaque omnes causae externae, quae jam nominatae sunt, evitentur. Alimenta sint et parca et levissima et quae viribus sustinendis et corpori alendo prosunt. Pulmenta ex hordeo contrito aut oryza in lacte vaccino cocta bis vel ter per diem sumpta prosunt. Evacuationes suppressae omni ope revocentur. Si acor nimius adest, terreis alcalicis, absorbentibus, nempe oculis cancerorum, magnesia carbonica, liquore kali carbonici et similibus datis corrigatur. Quibus subinde interponere blanda evacuantia valde convenit. Inter ea quae alvum laxant, hic ceteris praestat magnesia alba liberali manu et iterato praescripta. Si illi malum non cessit, manna, rheum, sales medii tentari possunt. Nec utilitate carebit, totum corpus subinde saepius in tepidum balneum demergi ex herbis emollientibus aut furfure paratum aut ex aqua cum lacte commixtum. Excoriationes imprimis attentione dignissimae. Lente enim tantum ad cicatrisationem deveniendum est; nam si justo citius exsiccantur, repelli ad interiora cum magno vitae periculo possunt. Quam ob rem adstringentia et styptica evitentur, licet passim ab auctoribus com-



commendata. Si pars acerbius doleat, nimium caleat et  
 irrescat, fomentationes ex decocto florum malvae et  
 sambuci adhibendae sunt. Si demulcere magis opus  
 esset, aliquid lactis recentis decocto utiliter admisceri  
 potest. Ubi secretio justo largior est, aliquid semi-  
 nis lycopodii aut magnesiae albae adspargatur, quae  
 secretum bibunt, neque secretionem reprimunt. Ad  
 secretionem renum restituendam, quibus spasmus in-  
 esse videtur, prae ceteris semen lycopodii ad usum  
 internum commendandum est. Ubi vero conquie-  
 vit malum, curare oportet exquisitissimo victus regi-  
 mine, ne iterum, quod frequentius evenit, recrudescat.

---



## **VITAE CURRICULUM.**

Ego A. Hellmann in vico Guesstphaliae, qui Wickedede nominatur, anno hujus saeculi octavo parentibus optimis, quos deo favente adhuc viventes veneror, natus, confessionique catholicae addictus sum. Primis literarum rudimentis in loco, ubi natus sum, imbutus, Gymnasium, quod Arnsbergae floret, adii et per sex annos frequentavi. Testimonium maturitatis adeptus, anno MDCCCXXVIII ab Ill. Hester, Rectore magnifico, civibus universitatis Bonnensis adscriptus. per tres annos philosophicas nec non medicas praelectiones adii: physicen experimentalem Ill. a Muenchow, encyclopaediam et methodologiam, pathologiam generalem et physiologiam Ill. Mueller, osteologiam Ill. Weber, anatomiam Ill. Mayer, qui etiam in arte cadavera rite dissecandi dux mihi fuit, materiam medicam Ill. E. Bischoff, mineralogiam Ill. Noeggerath, zoologiam Ill. Goldfuss, botanicen Ill. Nees ab Esenbeck, chirurgiam, artem obstetriciam et artem operationes in cadaveribus rite insti-



stituendi Ill. Kilian, anthropologiam, therapiam generalem et specialem Ill. Nasse, pathologiam specialem Ill. Albers me docuerunt. In clinico propaedeutico medico Ill. Nasse, in chirurgico Ill. Kilian mihi duces fuerunt. Tribus annis praeterlapsis in universitatem Herbipolensem literariam profectus sum, ubi Rectore magnifico Ill. Seiffert, in numerum civium academicorum receptus, clinicum chirurgicum duce Ill. Textor, qui etiam artem fascias rite adligandi tradidit, clinicum medicum duce Ill. Schoenlein frequentavi. Artis obstetriciae praxin, me docuit Ill. d'Outrepont. Post sex menses aegritudine commotus domum me contuli, ubi ad restituendam salutem quinque menses versatus sum. Quo facto Berolinum petivi, et Rectore magnifico Ill. Weiss civibus hujus universitatis literariae adscriptus, duce Ill. Rust clinicum chirurgicum, Cel. Juengken ophthalmiatricum, Ill. Bartels et Wolff clinicum medicum per annum dimidium, duce Cel. Truestedt polyclinicum medicum et chirurgicum per annum frequentavi. Hic etiam Ill. Kluge artis obstetriciae theoriam et praxin me docuit. Quorum virorum gratissimam memoriam nulla unquam oblivio in animo meo oblitterabit.

Tentamine et examine, quod dicunt, rigoro, rite superato, nihil impedimento fore, quo minus gratiosa facultas medica, dissertatione et thesibus rite defensis, summos in utraque medicina honores in me conferat, sperare audeo.

---



## **THESES DEFENDENDAE.**

### **I.**

*Syphilis hereditaria existit.*

### **II.**

*Febris, quae dicitur intermittens, non adnume-  
randa est febribus.*

### **III.**

*Phthisis pulmonum, quae vocatur tuberculosa,  
non est morbus.*

### **IV.**

*Sunt morbi salutare.*

### **V.**

*Organa secernentia talem rationem ad nervos  
habent, qualem muscoli.*



